

mus directe ordinatur ut medicina contra peccatum originale. Ergo non potest (1) salvare ab actuali.

3. Praeterea, aliquis qui est in proposito peccandi, non potest consequi peccati remissionem. Sed contingit aliquem dum baptizatur, peccare venialiter, vel in proposito peccandi venialiter remanere; nec tamen propter hoc reputatur fictus. Ergo etiam in non fictis baptismus non tollit culpam actualem.

Sed contra est quod dicit Augustinus in Enchir. (cap. 44): *Baptizati non uni tantum peccato, sed multis magis aut omnibus moriuntur quaecumque jam propria commiserunt vel cogitatione vel locutione vel opere*. Sed haec sunt peccata actualia. Ergo baptismus tollit culpam actualem.

Praeterea, baptismus est ordinatus ad tollendum culpam originale. Sed originale non potest tolli sine actuali, etiam ei qui utrumque habet: quia impium est a Deo dimidiam sperare veniam, ut infra dicitur, dist. 13. Ergo baptismus etiam tollit culpam actualem.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod non tollit omnem poenam temporalem debitam actuali peccato. Quia sicut Augustinus dicit (super Psalm. 44 et 38), peccatum aut homo punit, aut Deus. Si ergo homo in seipso non punit peccatum quod commisit a Deo punietur; et ita per baptismum actualis peccati poena non totaliter tollitur.

2. Praeterea, culpa non potest ordinari nisi per poenam. Sed Deus nil inordinatum relinquit. Ergo non dimittit quin pro culpa aliquam poenam infligat; et sic baptismus non absolvit ab omni poena.

3. Praeterea, eucharistia est perfectius sacramentum quam baptismus, quia est speciale repraesentativum passionis Christi a qua est efficacia in sacramentis. Sed eucharistia non absolvit etiam non indigne percipientes ab omni poena. Ergo multo minus baptismus.

Sed contra est quod dicit Ambrosius (Ambrosiaster) Rom. 2 super illud: *Sine poenitentia enim sunt dona Dei. Gratia Dei (inquit) in baptismo non requirit gemitum vel planctum vel aliquid opus, sed omnia gratias condonat*.

Praeterea, Christus sua simplici morte scilicet poenae, duas mortes in nobis consumpsit ut dicitur in Glossa Rom. 6, scilicet culpae et poenae. Sed in baptismo configuratur homo morti Christi, ut ibidem dicit Apostolus. Ergo absolvitur et a culpa et a poena.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod etiam tollat omnem poenam originalem peccati. Efficacius enim est donum Christi quam peccatum Adae, ut dicit Apostolus, Rom. 5. Sed omnis poena peccati originalis est inducta per peccatum Adae. Ergo per donum Christi, quod maxime in baptismo operatur omnis poena tollitur.

2. Praeterea, baptismus directus ordinatur contra peccatum originale quam contra (2) peccatum

(1) *Al.* poterat.
(2) *Al.* deest contra.

actuale. Sed tollit omnem poenam actualis peccati, ut Ambrosius (Ambrosiaster) dicit. Ergo tollit omnem poenam originalem.

3. Praeterea, cessante causa cessat effectus. Sed causa poenae est culpa. Si ergo tollit culpam originalem, et per consequens auferit poenam.

4. Praeterea, nullus qui est debitor alicujus poenae, evolat statim. Sed baptizatus, si statim moriatur, evolat. Ergo non est debitor alicujus poenae; et sic baptismus absolvit ab omni poena etiam originali.

Sed contra est, quia in baptizatis etiam caro concupiscit adversus spiritum. Sed haec pugna est ex peccato originali consecuta. Ergo non tollitur omnis poena originalis peccati per baptismum.

Praeterea, necessitas moriendi, et incinerationis et poenitentiae hujus vitae sunt poenae originalis peccati. Sed istae adhuc manent in baptizatis. Ergo baptismus non tollit omnem poenam originalem peccati.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod in generatione qualibet per introductionem formae omnis contraria forma expellitur, et etiam dispositio ad formam contrariam, nisi quandoque relinquatur ex indispositione recipientis formam. Unde cum baptismus sit regeneratio in vitam spiritualem, omne quod est vitae spirituali contrarium, quod scilicet cum gratia stare non potest, quae est spiritualis vitae principium per baptismum tollitur; et ideo baptismus delet et originalem et actualem culpam mortalem, et quantum est de se etiam venialem, quae disponit ad privationem gratiae; quamvis quandoque culpa venialis remaneat post baptismum mortali remota propter indispositionem recipientis baptismum (1).

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus non requirit contritionem quasi continuam ad destructionem peccati actualis quasi de se ad hoc non sufficiat, sed solum ad removendam fictionem quae est contraria dispositio impediens effectum baptismi.

Ad secundum dicendum, quod baptismus non ordinatur tantum contra culpam originalem alias circumcisis in primitiva Ecclesia non fuisset necessarius baptismus, sed ordinatur ad destruendum omnem culpam quam inveniat, et ad regenerandum in novam vitam destructa omni vetustate; et ideo est sicut totum potentiale habens completam potentiam ad destruendum totaliter peccatum. Sed poenitentia participat aliquid de potentia, quasi pars (2) potentialis ordinata contra alia peccata, scilicet actualia; quia baptismus iterari non potest.

Ad tertium dicendum, quod quantum est de se, baptismus, ut dictum est, tollit omnem culpam originalem et actualem non solum mortalem, sed venialem; quae quamvis non contrarietur gratiae simpliciter, contrariatur tamen gratiae baptismali, quae debet esse perfecta ratione novitatis vitae. Sed potest impediri effectus ejus ex parte recipientis, si sit indispositus per fictionem. Sed cum fictio sit peccatum, sicut peccatum mortale est peccatum simpliciter, ita facit fictum simpliciter, et totaliter effectum baptismi impedit quantum ad remissionem culpae. Sed peccatum veniale quod in actu vel in proposito est, facit fictum secundum quid, et est

(1) *Al.* per baptismum.
(2) *Al.* deest pars.

secundum quid peccatum, ut dispositio ad peccatum; et ideo impedit effectum baptismi non simpliciter, sed quantum ad remissionem illius venialis.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod Christus pro morte suam sufficienter satisfecit pro peccatis totius humani generis, etiam si essent multo plura. Et quia homo per baptismum in mortem Christi baptizatur, et ei commoritur et conspeltur, ut dicitur Roman. 6, ideo baptismus, quantum in se est, totam efficaciam passionis in baptizatum influit; et propter hoc absolvit non solum a culpa, sed a poena satisfactoria.

Ad primum ergo dicendum, quod per baptismum homo incorporatur Christo, et efficitur membrum ejus; et ideo poena quam Christus sustinuit, reputatur isti in satisfactionem: quia si patitur unum membrum, omnia alia compatiuntur, ut dicitur 1 Corinth. 11; et ideo Deus in Christo peccata illa punivit, sicut dicitur Isai. 53: *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*.

Ad secundum dicendum, quod poena ordinat culpam dupliciter. Uno modo ut satisfaciens; et sic culpa remanet ordinata per satisfactionem Christi. Alio modo ut medicina sanans, vel repraesentans membrum sanabile, et sic culpa in baptizatis ordinatur ut sanata per gratiam oppositam.

Ad tertium dicendum, quod quamvis eucharistia sit memorialis passionis Christi, non ordinatur tamen ad hoc quod per ipsam homo regeneretur in membrum Christi crucifixi, sed ut jam regeneratus ei adhaereat, et in ipso perficiatur; et ideo non est similis ratio de baptismo et eucharistia.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod in peccato originali talis fuit processus quod persona corrupta naturam, et natura personam corripuit; unde aliquid consideratur in hoc peccato quod pertinet ad naturam, aliquid quod pertinet ad personam. Passio autem Christi sufficienter peccatum originale abstulit quantum ad utrumque. Sed quia sacramenta personis adhibentur, ideo baptismus hoc ab homine tollit quod ex corruptione naturae in personam redundabat; et propter hoc ipsam infectionem culpae, prout afficit personam, et poenam illam quae actum personae privabat, scilicet carentiam visionis divinae, baptismus auferit; sed non auferit actu infectionem prout afficit naturam: quod patet ex hoc quod baptizatus per actum naturae originale transmittit in prolem, similiter nec poenas quae consequuntur principia naturae destitutae gratia innocentiae primi status, cujusmodi sunt rebellio carnis ad spiritum, mors, et hujusmodi poenitentiae, quae consequuntur ex hoc ipso quod homo ex contrariis compositus est et quantum ad corpus et quantum ad animam quodammodo, scilicet quantum ad appetitum sensus et intellectus. Sed per gratiam baptismalem efficitur ut hae poenae remanentes non dominantur in personam, sed magis ei subjiciantur, et in utilitatem ipsius cedant, in quantum sunt materia virtutis, et occasio humilitatis et exercitii.

Ad primum ergo dicendum, quod passio Christi sufficienter auferit et illud quod est personae, et illud quod est naturae per causam. Sed quia omnes homines in natura communicant, ideo effectus secundum legem communem eurationis naturae non erit nisi in fine mundi; quando omnibus electis jam congregatis, simul cum eis etiam alia creatura

S. Th. Opera omnia. V. 7.

insensibilis liberabitur a servitute corruptionis, ut dicitur Rom. 8.

Ad secundum dicendum, quod ea quae ad peccatum actuale pertinent, sunt tantum personae, quia actus individuum sunt, secundum Philosophum (1 Metaph., cap. 1); et ideo non est simile de poena actualis et originalis.

Ad tertium dicendum, quod tollitur culpa originalis per baptismum in quantum est infectiva personae, non autem in quantum est infectiva naturae per actum generationis; et ideo poenae quae ad corruptionem naturae pertinent, etiam non tolluntur.

Ad quartum dicendum, quod baptizatus statim evolat, quia nulla poena debetur sibi ratione personae, sed ratione naturae humanae, quae post mortem non manet secundum hunc statum, in quo sibi poena debetur.

ARTICULUS II.

Utrum per baptismum conferatur pueris gratia et virtutes. — (5 p., qu. 69, art. 4, 6 et 7.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod per baptismum non conferatur pueris gratia et virtutes. Dicit enim Augustinus in libro de Baptismo parvulorum (vel epist. 25 ad Bonifacium episc.): *Parvulos fideles facit non fides ea quae consistit in credentium voluntate, sed fidei sacramentum*. Sed fides quae est virtus, consistit in credentium voluntate, ut in 5 libro, dist. 25, quaest. 2, art. 3, quaestione 1, dictum est. Ergo parvuli baptizati non habent virtutem fidei, et pari ratione nec alias virtutes, quae etiam in voluntate consistunt.

2. Praeterea, si aliquid de novo recipiatur in aliquo, oportet quod recipiens vel influens alio modo se habeat nunc quam prius. Sed anima pueri baptizati non alio modo se habet dum baptizatur quam prius: quia proprium motum non habet, carens liberi arbitrii usu; nec Deus, qui est influens gratiam et virtutes. Ergo pueri in baptismo gratiam et virtutes non recipiunt.

3. Praeterea, Damascenus dicit (de Fide orthodox., lib. 2, cap. 25), quod substantia nullo modo est sine propria operatione. Sed constat quod in puero non sunt operationes virtutum, quia non habet electionem, ut dicitur in 5 Ethic. (cap. 4 vel 5), quae in opere virtutis requiritur. Ergo non habet virtutes.

4. Praeterea, virtutes, cum sint habitus, habitant ad actum. Sed pueri non sunt habiles ad agendum quae secundum virtutem sunt. Ergo non recipiunt virtutes in baptismo.

Sed contra, Augustinus dicit (1), quod fides datur et nutritur in baptismo: datur quantum ad parvulos, nutritur quantum ad adultos. Sed fides est virtus. Ergo virtutes dantur parvulis in baptismo, et eadem ratione aliae virtutes.

Praeterea, nullus admittitur ad gloriam nisi habeat vestem nuptialem, quae est caritas. Sed pueri baptizati, si moriantur, statim evolant. Ergo habent caritatem, quae est magistra virtutum, et per consequens alias virtutes.

(1) Ubi hoc dicit, non expresse occurrit; quamvis cathemenos baptizandos fidem jam habere supponat passim (Ex edit. P. Nicolai).

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod in adultis virtutes per baptismum non augeantur. Augmentum enim virtutum est per meritum: quia secundum Augustinum (tract. 74 in Joan., circa med.), caritas meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici. Sed in baptismo non operatur meritum baptizati quantum ad opus operatum. Ergo ex opere operato virtutes in baptismo non augentur.

2. Praeterea, cibus corporalis in eo qui jam pervenit ad quantitatem determinatam, non facit augmentum. Sed potest esse quod aliquis ante baptismum perveniat ad quantitatem gratiae baptismalis quam puer recipit, in quo nullum est impedimentum. Ergo baptismus nihil supra gratiam adjiciet.

Sed contra, super illud Psal. 22: *Super aquam refectionis educavit me*, dicit Glossa (aequivalenter): *Per augmentum virtutis et bonae operationis educavit in baptismo*. Ergo baptismus auget virtutes habentibus.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod baptismi effectus non sit illuminatio. Quia illuminatio ad doctrinam pertinet. Sed doctrina fidei est per catechismum, qui praecedit baptismum. Ergo non est actus baptismi.

2. Praeterea, illuminatio contra ignorantiam ordinatur. Sed secundum quosdam baptismus non ordinatur contra ignorantiam, sed magis ordo. Ergo illuminatio non est effectus baptismi, sed magis ordinis.

Sed contra est quod Damascenus (de Fide orthodox., lib. 4, cap. 10), ponit inter effectus baptismi illuminationem, ut patet ex ejus definitione praecedenti dist. inducta.

QUAESTIUNCULA IV.

Uterius. 1. Videtur quod fecundatio non sit effectus baptismi. Non enim idem est quo aliquis active generat, et passive generatur. Sed baptismus est regeneratio passiva baptizati. Cum ergo fecunditas importet generationem activam, videtur quod non pertineat ad baptismum.

2. Praeterea, fecunditas est proprietas consequens aliquid quantum ad perfectum statum sui: quia, ut dicitur in 4 Meteor. (cap. 3), perfectum unumquodque est, quando potest alterum generare. Sed baptismus non ordinatur ad perfectiendum, sicut eucharistia et confirmatio, secundum Dionysium (de eccles. Hierarch., cap. 2 et 3), sed magis ad illuminandum et purgandum. Ergo baptismus non habet fecunditatem pro effectu.

Sed contra est quod dicit Glossa (interlinealis) super illud Psal. 22: *Super aquam refectionis: Anima peccatorum ariditate sterilis fecundatur per baptismum*.

QUAESTIUNCULA V.

Uterius. 1. Videtur quod incorporari Christo non sit effectus baptismi. Aliquis enim incorporatur Christo et membris ejus per fidem formatam, ut in 3 lib., dist. 25, dixit Magister. Sed aliquis habet fidem formatam etiam ante baptismum. Ergo incorporatio non est effectus baptismi.

2. Praeterea, incorporatio est effectus eucharistiae. Sed ad eundem effectum non ordinantur diversa sacramenta. Ergo non est effectus baptismi.

Sed contra est quod Augustinus dicit ad Bonifacium (epist. 115) quod in baptismo aliquis membrum Christi efficitur. Sed hoc est Christo incorporari. Ergo incorporatio est effectus baptismi.

QUAESTIUNCULA VI.

Uterius. 1. Videtur quod apertio januae non sit effectus baptismi. Quidam enim ante passionem Christi baptizati sunt. Sed tunc eis janua non est aperta: quia si aliquis eorum tunc decessit, regnum non introivit. Ergo baptismus non aperit januam regni caelestis.

2. Praeterea, baptismus repraesentat passionem Christi, non resurrectionem, ut videtur. Sed in resurrectione est aperta janua, ut patet per collectam quae dicitur in die resurrectionis: *Deus qui in hodierna die per Unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum devicta morte reserasti*. Ergo non debet iste effectus baptismi attribui.

Sed contra est auctoritas Bedae supra inducta, dist. 1, quod in hoc differbat circumcisio a baptismo quod aditum regni caelestis non aperiebat.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod circa hoc est multiplex opinio.

Quidam enim dixerunt, quod pueris in baptismo nullo modo virtutes dantur, sed solum a peccato originali mundantur; sed postea quando decedunt, vel quando ad perfectam aetatem veniunt, eis virtutes conferuntur, si innocentiam servant. Sed haec opinio non potest stare: quia lignum cum praecisum fuerit, ubi ceciderit, ibi stabit, Eccl. 11; et ideo si pueris ante mortem non fuissent collatae virtutes, et gratia operans et cooperans, nec in morte eis conferrentur, et sic non salvarentur; quod falsum est. Videtur autem haec opinio venisse ex hoc quod virtutes actus tantum esse credebant; quod falsum est, ut in 2 libro, dist. 27, quaest. 1, art. 1, dictum est. Et ideo alii dicunt, quod pueris in baptismo dantur gratia et virtutes non in seipsis, sed in radice sua, scilicet gratia quae est radix virtutum, sicut essentia animae potentialium; sed postea quando solvantur potentiae, perfectis organae, effluunt virtutes in ipsa ab ipsa essentia animae. Sed hoc pro tanto esse non potest, quia tunc si puer in furiam verteretur antequam ad perfectam aetatem veniret, nunquam in ipso potentiae solverentur, et ita nunquam virtutes explicite haberet: et praeterea quod potentiae sint ligatae aliquo impedimento, non impedit habitum, sed actum: quia dormientes et violenti habitus habent, sed ligatos.

Et ideo alii dicunt, et melius, quod pueris in baptismo dantur gratia et virtutes: sed habitus illi ligati sunt propter pueritiam, sicut in dormiente propter somnum: sed pueritia discedente inclinant ad bene operandum, nisi aliquis Spiritui sancto resistat.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur de fide et voluntate actuali, quae in pueris esse non potest.

Ad secundum dicendum, quod quamvis agens principale sit immobile, tamen agens instrumentale non eodem modo se habet nunc et prius ad puerum: quia nunc adhibet sibi baptismus, non

autem prius. Tamen etiam sine aliqua mutabilitate sui Deus alicui puero posset gratiam conferre, etiam sine adhibitione sacramenti, si ab aeterno disposuisset se ei daturum, sicut patet de sanctificatis in utero.

Ad tertium dicendum, quod duplex est actus virtutum. Unus primus, qui est perficere animam et potentias ejus; et hunc actum etiam pueri habent. Alius est secundus, qui est operari cum electione; et hunc actum non semper habent: quia earum operationes sunt voluntariae, et voluntas non habet necesse semper agere, etiam in adultis.

Ad quartum dicendum, quod habitus facit habilem ad actum tollendo inhabilitatem quae est ex imperfectione potentiae, non autem tollit inhabilitatem quae est ex parte corporis, sicut patet in dormientibus.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod per eandem causam virtus generatur (1) et augetur, ut dicit Philosophus in 2 Ethic. (cap. 1); et ideo, quia baptismi est conferre virtutem et gratiam non habentibus, oportet quod in habentibus augeat.

Ad primum ergo dicendum, quod in baptismo quamvis non operetur meritum baptizati, operatur ibi tamen meritum Christi, quod est efficacius.

Ad secundum dicendum, quod gratia non habet aliquid determinatum terminum ad quem pertingat, vel ultra quem procedere non possit, sicut est de quantitate animalis; et ideo non est simile.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum quod lumen est quo dirigimur in visionem alicujus rei. Baptismus autem dirigit in visionem spiritualem exteriori et interiori. In interiori quidem inquantum baptismus dicitur sacramentum fidei, quae oculum mentis idoneum facit ad visionem divinae; exteriori vero, quia baptizatis conceditur inspicere sacram eucharistiae, et non alius, ut Dionysius dicit; et ideo tam Damascenus quam Dionysius baptismum vim illuminativam attribuunt.

Ad primum ergo dicendum, quod fides principaliter est ex infusione; et quantum ad hoc per baptismum datur; sed quantum ad determinationem suam est ex auditu; et sic homo ad fidem per catechismum instruitur.

Ad secundum dicendum, quod scientia plus dicit quam illuminatio. Importat enim comprehensionem eorum ad quorum visionem illuminatio dirigitur; et ideo scientia ad perfectionem pertinet; unde Dionysius doctos perfectos nominat, et doctores perfectores: et sic contra ignorantiam ordo datur, ut scilicet ordinati sint docti, et etiam doctores aliorum.

Solutio IV. Ad quartam quaestionem dicendum, quod fecunditas dicitur dupliciter. Uno modo respectu fructus producendi in ipso qui dicitur fecundari, sicut operationes virtutum quidam fructus boni dicuntur; et hoc modo fecundatur anima in baptismo, cum in eo dentur virtutes non habentibus, et augeantur habentibus. Alio modo respectu fructus producendi in altero, sicut cum aliquis per doctrinam et sollicitudinem pastorem in plebe Dei fructum facit; et hoc modo fecundatio non pertinet ad baptismum, sed magis ad sacramentum ordinis.

(1) *Al.* quibus generatur.

Ad primum ergo dicendum, quod ex eodem ex quo aliquid habet generationem in natura aliqua, habet quod faciat operationes illius naturae; et ideo cum per baptismum homo regeneretur in vitam spiritualem, per ipsum homo efficitur active fecundus, et quasi genitor spiritualium operum.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de secunda declaratione.

Solutio V. Ad quintam quaestionem dicendum, quod incorporari Christo contingit dupliciter, scilicet merito et numero. Merito quidem potest aliquis de Ecclesia effici (quod est Christo incorporari) etiam ante baptismum actu susceptum, sed non ante baptismi propositum vel ipsum baptismum post tempus gratiae revelatae; sed numero non potest aliquis effici de Ecclesia nisi per baptismum; unde aliquis ante baptismum non admittitur ad perceptionem eucharistiae et aliorum sacramentorum Ecclesiae, ut prius dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectio illa procedit de prima incorporatione.

Ad secundum dicendum, quod perceptio eucharistiae praesupponit incorporationem absolute: quia capitis virtus non communicatur membro nisi jam unito. Sed per eucharistiam est perfecta influenza a capite in membro; et quantum ad hanc perfectionem incorporatio est effectus eucharistiae.

Solutio VI. Ad sextam quaestionem dicendum, quod aperiri januam regni caelestis nihil aliud est quam amovere impedimentum quo aditus in regnum caeleste toti naturae humanae prohibebatur. Hoc ergo impedimentum absolute quantum ad omnes remotum fuit sufficienter per passionem Christi; sed illa remotio efficienter fit quo ad istum, secundum quod particeps fit passionis Christi jam factae per baptismum; et sic baptismus quasi causa instrumentalis aperit januam regni caelestis quo ad istum, sed passio ut causa satisfactoria quo ad omnes.

Ad primum ergo dicendum, quod haec ratio erat, quia passio Christi, in cuius virtute baptismus agit, nondum facta erat, nec per eum aditus regni caelestis apertus; unde ratio probat quod baptismus non habeat hanc virtutem quasi causa principalis.

Ad secundum dicendum, quod aditus regni caelestis aperitur tripliciter. Uno modo quantum ad gloriam animae; et sic in passione apertus est; unde dictum est latroni, Luc. 23, 43: *Hodie mecum eris in paradiso*. Alio modo quantum ad gloriam corporis; et sic apertus est in resurrectione. Alio modo quantum ad locum gloriae congruentem; et sic apertus est in ascensione. Et his tribus modis baptismus instrumentaliter aperit quo ad istum: agit enim (1) virtute et passionis et resurrectionis et ascensionis, inquantum homo configuratur Christo passo per immersionem, qua quodammodo Christo conspeditur, et ei resurgenti quantum ad nitorem qui resultat ex aqua, et ascendenti quantum ad elevationem baptizati de sacro fonte. Unde baptismus passioni appropriatur: quia etiam gloria animae principalior est, et causa quodammodo aliorum; et in huius signum baptizato Domino caeli aperti sunt super eum; Matth. 5.

(1) *Al.* autem.

ARTICULUS III.

Utrum baptismus aequalem effectum habeat in omnes quantum ad remotionem mali. — (5 p., quaest. 69, art. 8.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod baptismus non aequalem effectum habeat in omnes quantum ad remotionem mali. In adultis enim removet peccatum actuale et originale; sed in pueris originale tantum. Ergo plus efficit in adultis quam in pueris quantum ad mali remotionem.

2. Praeterea, mitigatio fomitis est effectus baptismi. Sed post baptismum in quibusdam invenitur fomes magis mitigatus quam in aliis. Ergo in eis efficacius baptismus se habuit in remotione mali.

Sed contra, baptismus habet efficaciam ad removendum malum, secundum quod habet quamdam similitudinem mortis. Sed morientium unus non magis moritur quam alius. Ergo et baptismus aequaliter in omnibus mala auferit.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod etiam aequalis gratia omnibus in baptismo conferatur, qui non fiete accedunt. In baptismo enim operatur passio Christi, quae habet quodammodo efficaciam infinitam. Sed finitum infinito additum nihil majus efficit. Cum ergo devotio accedens qua unus alium excedit, sit quoddam bonum finitum, videtur quod devotio vel aliquid hujusmodi, efficere non possit quin omnes in baptismo aequalem gratiam consequantur.

2. Praeterea, ad baptismi effectum capiendum non requiritur alia conceusa, sed solum ut impedimentum removeatur. Sed nullus recipit gratiam in baptismo nisi ab eo sit impedimentum remotum. Ergo omnes recipiunt gratiam aequalem.

Sed contra, Damascenus dicit (lib. 4 de Fide orth., cap. 10) quod peccatorum remissio cunctis aequaliter in baptismo datur, gratia autem Spiritus sancti secundum proportionem fidei, et secundum purgationem. Sed non omnes cum aequali fide nec aequaliter praeparati ad baptismum accedunt. Ergo non omnes aequaliter gratiam consequuntur.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod nec etiam pueri in baptismo consequantur aequalem gratiam. Quia in Angelis secundum quantitatem naturalium gratia infundebatur. Sed unus puerorum habet meliora naturalia quam alius. Ergo et majorem gratiam in baptismo recipit.

2. Praeterea, quidam in baptismo recipiunt gratiam finalem, qui innocentiam baptismalem usque ad finem servant, quidam autem non. Ergo etiam de pueris aliqui aliam majorem gratiam consequuntur.

Sed contra, gratia baptismalis in pueritia non opponitur nisi peccato originali. Sed unus puer non habet plus de peccato originali quam alius. Ergo nec majorem gratiam baptismalem recipit unus alio.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam questionem, quod baptismus universaliter auferit in eo qui non fiete accedit, culpam personam inficientem, quam invenit, ut dictum est; et sic ac-

cedit ad terminum. Ea autem quae in termino sunt, intensionem non recipiunt; et ideo quantum ad remotionem culpae, aequalem effectum habet in omnibus baptismus; et similiter est de poena personali, quae respondet culpae originali prout est inficiens personam, scilicet carentia divinae visionis. Sed contra aliam poenam ex principiis naturae corruptae consequentem, sicut est concupiscentia vel fomes, remedium adhibetur in baptismo, ut non dominantur per gratiam in baptismo collatam; et ideo simile est de poena illa et de gratia.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc non est de efficacia baptismi quod non tot peccata destruit in uno quot in alio: in quolibet enim destruit omnia quae invenit.

Ad secundum dicendum, quod illa obiectio procedit de secunda poena, quae habet reprimi per baptismum ex parte gratiae collatae.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum, quod actus activorum recipiuntur in passivis secundum suam dispositionem; et ideo quamvis baptismus (ut et passio Christi, quae in eo operatur) quantum est de se; aequalem respectum ad omnes habeat; quia tamen quidam ad baptismum cum majori praeparatione fidei et devotionis accedunt quam alii, ideo quidam aliis majorem gratiam consequuntur. Nullus enim gratiam in termino recipit, ut intendi non possit per baptismum.

Ad primum ergo dicendum, quod devotio baptizati non additur quasi conceusa, ut efficienter agat ad gratiae receptionem; sed additur quasi dispositio materialis; et ideo secundum diversitatem ipsius participatur baptismi effectus.

Ad secundum dicendum, quod quando adultus baptizatur, non solum requiritur ad percipiendum baptismi effectum removens prohibens, scilicet fictionem, sed etiam requiritur dispositio quasi materialis, scilicet devotio et fides recipientis baptismum; et secundum quod magis vel minus invenitur dispositus, effectum baptismi diversimode consequitur.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod in pueris baptizatis nihil ex parte eorum requiritur, sed habent quasi pro dispositione ad salutem fidem Ecclesiae, et pro effectivo salutis virtutem passionis Christi, quae operatur in baptismo; et haec duo aequaliter ad pueros se habent; et ideo non differunt quantum ad effectum baptismi suscipiendum, sed omnes aequalem gratiam suscipiunt.

Ad primum ergo dicendum, quod non est simile de pueris et de Angelis: quia Angeli differunt specie, secundum multorum opinionem, pueri autem non; unde non est tanta differentia naturalium in pueris sicut in Angelis. Vel dicendum, quod in Angelis secundum proportionem gradus naturalium erat etiam proportio conatus qui ex parte eorum requirebatur, et ideo accipiebant gratiam secundum proportionem naturalium; in pueris autem non requiritur aliquis actus ex parte eorum; et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod gratia accepta in pueris, non facit eis necessitatem ad bonum, sed inclinationem tantum; et ideo postquam ad perfectam aetatem pervenerint, possunt diversimode gratia recepta uti; et inde est quod quidam proficiunt et perseverant, quidam vero deficient; non ex diversa quantitate gratiae in baptismo perceptae.

QUAESTIO III.

Deinde quaeritur de recipientibus baptismum; et circa hoc quaeruntur tria: 1.º de pueris, et aliis usu rationis carentibus, quos constat sacramentum et rem sacramenti percipere; 2.º de fictis qui recipiunt sacramentum, et non rem sacramenti; 3.º de baptizatis baptismis flammis et sanguinis, qui non recipiunt sacramentum, sed rem sacramenti.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum pueri sacramentum suscipere possint. (5 p., quaest. 68, art. 9 et 12.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod pueri sacramentum suscipere non possint. Marc. ult., 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*; ex quo patet quod credere praesupponitur ad baptismum. Sed pueri non possunt credere, quia non possunt aliquid cum assertionem cogitare. Ergo pueri non possunt suscipere sacramentum baptismi.

2. Praeterea, in baptismo fit quaedam obligatio hominis ad ea quae sunt fidei christianae servanda. Sed obligatio non potest fieri nisi ab eo qui est suae voluntatis arbiter constitutus. Ergo pueri sacramentum baptismi suscipere non possunt.

3. Praeterea, per baptismum, ut dicit Dionysius (cap. 2 de caelst. hierarch.), fit aliquis participes communionis divinorum. Sed pueris non competit sacra communicare. Ergo non competit eis sacramentum baptismi.

Sed contra est quod Dionysius dicit (ult. cap. cael. Hierar.), quod *divini nostri duces*, scilicet Apostoli, *probaverunt infantes recipi ad baptismum*. Ergo pueri possunt sacramentum baptismi recipere.

Praeterea, baptismus circumcisioni successit. Sed circumcisio pueris conferebatur. Ergo et baptismus pueris debet dari.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod melius sit baptismum differri quam statim in pueritia, dare, nisi necessitas mortis emergat. Quia omnis Christi actio, nostra est instructio. Sed Christus baptismum accipere voluit in tricesimo anno vitae suae, ut dicitur Luc. 5. Ergo et similiter apud nos debet usque ad tempus perfectae aetatis differri.

2. Praeterea, medicina efficax debet sumi quando maxime potest juvare. Sed baptismus maxime juvaret in fine vitae, vel saltem in perfecta aetate; quia per ipsum omnia delicta adolescentiae et juventutis solverentur. Ergo usque tunc deberet differri.

3. Praeterea, magis efficitur homo ad ea quae ex seipso acquirit quam ad ea quae ab alio accipit; unde et illi qui ex propria acquisitione divitias habent, non sunt ita liberales sicut qui ab aliis acceperunt, ut dicit Philosophus in 4 Ethic. (cap. 2). Sed pueri qui baptizantur, quasi ab aliis baptismum suscipiunt; adulti autem ex seipsis ad baptismum accedunt. Ergo magis afficerentur ad fidem christianam, quae in baptismo suscipitur, si baptizarentur adulti, quam si baptizarentur infantes.

Sed contra, medicina debet quam citius morbo apponi. Sed baptismus est medicina contra origi-

nale peccatum, quod etiam in pueris est. Ergo debet eis baptismus dari statim.

Praeterea, melius est impedire malum ne fiat, quam jam factum destruere. Sed per baptismum debilitatur fomes, ne dominetur in nobis, et in peccatum actuale ne nos praecipiet; et sic in pueritia susceptus futura peccata impedit. Ergo melius est tunc dari baptismum quam postea ad destruendum peccata praeterita.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod adultis usu rationis carentibus baptismus dari non debeat. In adultis enim non solum per baptismum originale, sed etiam actualia peccata solvuntur. Sed contra actuale peccatum quod quis ex seipso commisit, requiritur proprius motus liberi arbitrii. Ergo his adultis qui usum liberi arbitrii non habent, baptismus dari non debet.

2. Praeterea, nulli contradicenti sacramentum exhiberi oportet. Sed quandoque amentes et furiosi contradicunt. Ergo eis baptismus dari non debet.

3. Praeterea, dormientes secundum Philosophum, vivunt vita plantae. Sed baptismus non datur nisi viventis vita humana, quae est secundum animam rationalem. Ergo dormienti baptismus dari non oportet.

Sed contra est quod Augustinus dicit 4 Confess. (cap. 4), de amico suo, qui eum desperaretur, baptizatus est nesciens; et tamen in ipso baptismus efficaciam habuit: quod patet ex hoc quod postea perversae suasioni contradixit. Ergo etiam carentibus usu rationis baptismus dari potest.

Praeterea, pueri, qui nunquam habuerunt usum rationis, baptizantur. Ergo multo amplius illi qui aliquando habuerunt, quamvis nunc non habeant.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam questionem, quod diversi status mundi comparantur diversis aetatibus usui hominis, sicut Augustinus dicit in lib. 85 Questionum (quaest. 55, et fusius ac expressius, quaest. 38). Unde sicut mellos mundi fuit in quo esset humano generi praecclusa via salutis, ita nulla aetas hominis unius est in qua sibi via salutis praeccludatur. Unde cum in pueris sit peccatum originale, per quod a consecutione aeternae salutis impediuntur, oportet quod eis adhiberi possit aliquod remedium ad removendum praedictum impedimentum. Hoc autem est baptismus. Unde divinae misericordiae contradicunt qui negat baptismum parvulis posse exhiberi; et propter hoc haereticum est hoc dicere.

Ad primum ergo dicendum, quod pueri quamvis non habeant actum fidei, habent tamen habitum, quem in baptismo suscipiunt, sicut et habitus aliarum virtutum. Sed si verbum Domini intelligatur de actu fidei, tunc referendum est ad illos tantum qui per doctrinam Apostolorum imbuedi erant, de quibus praedixerat: *Praedicate Evangelium omni creaturae*; nulli enim eorum quibus Evangelium praedicandum erat, baptismus dari debebat, nisi crederet.

Ad secundum dicendum, quod obligatio in baptismo non fit ad aliquid ad quod non omnis homo teneatur.

Ad tertium dicendum, quod sicut ille qui ascribitur ad militiam non oportet quod statim in

pugnam vadat, sed quando opportunitas imminet; ita nec ille qui in baptismo ascribitur ad divinas actiones, oportet quod statim ad eas dimittatur, sed quando tempus opportunum fuerit.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod magis laudabile est quod pueri quam citius poterit baptizentur commode, non expectata perfecta aetate, propter tres rationes. Primo, quia propter imbecillitatem naturae de facili mori possunt et damnari; unde ut damnationis periculum evitetur, debent baptismo praeveneri. Secundo propter infestationes daemonum, qui non habent tantam potestatem in pueris baptizatis ab originali mundatis, quantum in illis qui adhuc originale habent, neque quantum ad nocentia spiritualia, neque quantum ad nocentia corporalia. Tertio, quia in pueritia facilis homo ad aliqua inducitur, et firmius inhaeret, secundum quod Philosophus dicit in 2 Ethic., cap. 1: *Non parum refert ex juvene confestim assueferi, sed multum; magis autem omne; et hanc causam assignat Dionysius in fine eccles. Hierarc. dicens: Tradit autem puerum sacris symbolis, id est sacramentalibus signis, summus sacerdos, ut cum eis conversetur, et neque formetur in vitam alteram, nisi divina contemplantem semper.*

Ad primum ergo dicendum, quod Christus suscepit baptismum quasi ipsum instituens vel consecrans. Hoc autem ad doctoris vel sacerdotis officium pertinet, nuntiare viam salutis; et ideo ante tempus perfectae aetatis, quod competit esse in doctore vel sacerdote, baptizari non debuit. Nec est simile de aliis qui baptismum suscipiunt, ut ab eo juventur.

Ad secundum dicendum, quod in baptismo conferitur gratia ad bene vivendum, et peccata tolluntur praeterita, et impediuntur futura; et ideo quamvis baptismus in fine vitae susceptus plura peccata praeterita tolleret, tamen pauciora impediret, et ad pauciora bona promoveret; et ideo minus esset utilis. Praeterea multis casibus subiacet humana vita, et posset contingere ut qui baptismum in fine accipere expectaret, morte subita praeventus expectatione sua frauderetur.

Ad tertium dicendum, quod gratia baptismalis non est per acquisitionem hominis, sed dono Dei. Praeterea status paupertatis ante divitias acquisitas non inclinat affectum ut homo paupertatem sequatur, sed magis ut paupertatem fugiat; status autem peccati ante gratiam vel virtutem relinquit propter assuetudinem inclinationem (1) in anima ut facilis in peccatum labatur; et ideo non est simile de acquisitione pecuniae, et gratiae vel virtutis.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod de amentibus distinguendum est. Quidam enim sunt qui ex natiuitate amentes fuerunt, et nunquam habent aliqua lucida intervalla; et de talibus videtur esse idem iudicium quod de pueris. Quidam autem amentiam incurrerunt ex infirmitate vel aliquo huiusmodi, et habent aliqua lucida intervalla; et de istis dicendum est, quod si antequam amentiam incurrerunt, vel dum habent lucida intervalla, fuerunt in proposito baptismum suscipiendi, si necessitas sit, possunt baptizari, et baptismi sacramentum suscipiunt, et rem sacramenti, etiam si tunc actu dissentiant quando baptizantur in amentia existentes. Si autem ante a-

(1) *Al. inclinamem.*

mentiam contraxerint, non recipiunt sacramentum neque rem sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in adulto qui habet usum rationis, disponit ad gratiam baptismalem suscipiendam motus liberi arbitrii quem habet dum baptizatur; ita in amente motus liberi arbitrii quem habebat dum sanae mentis erat.

Ad secundum dicendum, quod effectus baptismi in mente suscipitur, nec impeditur nisi ex contradictione mentis. Illi autem qui mentis usum non habent, non contradicunt mente, sed magis phantasia ducti; et ideo talis contradictio effectum baptismi non impedit, quando mentis consensus praesens.

Ad tertium dicendum, quod dormientes baptizandi non sunt, nisi periculum mortis immincat; et tunc similiter distinguendum est de dormientibus sicut de illis qui amentiam incurrunt post statum sanae mentis.

ARTICULUS II.

Utrum aliqua indispositio voluntatis humanae possit effectum baptismi impedire.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod nulla indispositio voluntatis humanae possit effectum baptismi impedire. Ea enim quae sunt a natura, sunt magis permanentia quam ea quae sunt a voluntate. Sed originale est peccatum naturae, quod baptismi effectum non impedit. Ergo nec aliqua indispositio voluntatis baptismum in suo effectu impedire potest.

2. Praeterea, in naturalibus indispositio materiae non impedit effectum agentis totaliter, nisi quando contraria dispositio quae est in materia, est fortior quam virtus agentis, sicut patet de a-quositate lignorum per comparisonem ad calorem ignis. Sed virtus divina, quae in sacramentis secretis operatur salutem, ut Augustinus dicit (lib. 15 de Civ. Dei, cap. 6, et quaest. 20 in Levit.), est potentior qualibet indispositione nostrae voluntatis. Ergo non potest propter indispositionem voluntatis effectus baptismi totaliter tolli.

3. Praeterea, baptismus, sicut et alia sacramenta, instrumentum est divinae misericordiae operantis salutem. Sed divina misericordia operans salutem etiam voluntatem in bonum mutat per gratiam praevenerentem. Ergo et baptismus indispositionem voluntatis magis tollit quam ab ea impediatur.

Sed contra, Rom. 2, super illud: *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio*, dicit Ambrosius, quod gratia Dei in baptismo non requirit nisi solam fidem et contritionem. Sed per haec duo tollitur omnis contrarietas, voluntatis ad gratiam. Ergo requiritur ad baptismum ut indispositio voluntatis tollatur.

Praeterea, secundum Augustinum (de Verbis Apost., serm. 13), qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. Sed ille qui habet indispositam voluntatem, non cooperatur Deo, immo magis in contrarium operatur. Ergo in baptismo non justificatur.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod huiusmodi voluntatis indispositio non debeat dici fictio. Secundum enim

unumquodque genus peccati contingit voluntatem esse indispositam ad baptismalis gratiae susceptionem. Sed fictio est speciale peccatum, quia opponitur speciali virtuti, scilicet veritati, ut patet per Philosophum in 4 Ethic. (cap. 3). Ergo non debet dici universale impedimentum baptismalis gratiae.

2. Praeterea, Augustinus dicit (lib. 7 de Baptism. contra Donatistas, cap. 35), quod fictus est qui non credit. Sed sicut in baptismo datur fides, ita et aliae virtutes, et praecipue caritas, per quam aliquis fit Filius Dei. Ergo fictio non magis debet poni impedimentum baptismi, quam opposita aliarum virtutum.

3. Praeterea, secundum Augustinum aliquo modo fictus est qui indevotus accedit. Sed indevotio potest esse sine peccato mortali; talis autem non habet aliquod impedimentum baptismi. Ergo impedimentum baptismi non debet dici fictio.

4. Praeterea, aliter dicitur Augustinum, alio modo dicitur fictus qui seculum celebrat. Sed qui non servat formam Ecclesiae, non confert sacramentum, neque suscipit. Ergo talis fictio non est sacramenti impedimentum.

5. Praeterea, fictus alio modo ab Augustino dicitur qui contemnit suscipere. Sed talis non suscipit. Ergo talis fictio non impedit sacramenti effectum.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod recedente fictione baptismus effectum non consequatur. Opus enim mortuum nunquam vivificatur, ut infra, dist. 14, dicitur. Sed opus mortuum dicitur quod in peccato mortali factum est. Cum ergo fictio accedens ad baptismum, in peccato mortali sit, baptismus ille nunquam vivificari (1) poterit, ut ei gratiam conferat.

2. Praeterea, effectus baptismi est ab omni culpa et poena absolvere. Sed hoc non accidit recedente fictione: quia a poena peccatorum quae post baptismum commisit, non absolvitur alias esset majoris efficaciae in fidee accedentibus quam in aliis, quibus ad deletionem sequentium peccatorum baptismus non operatur. Ergo recedente fictione baptismus non operatur. Ergo recedente fictione baptismus non habet suum effectum.

3. Praeterea, sicut aliquis fidee accedit ad baptismum, ita etiam ad eucharistiam. Sed recedente fictione eucharistiae effectum non percipit qui prius fictus accesserat. Ergo nec etiam recedente fictione aliquis baptismi effectum percipit.

Sed contra, remota causa removetur effectus. Sed causa impediens effectum baptismi erat fictio. Ergo remota fictione baptismus effectum suum habebit.

Praeterea, cuilibet culpae in statu viae potest remedium adhiberi. Sed contra originale culpam non est aliud remedium quam baptismus. Ergo cum fidee accedentibus originale non remittatur, oportet baptismum iterari si recedente fictione baptismus effectum suum non haberet quod est inconveniens et haereticum.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod duplex est effectus baptismi. Primus est res et sacramentum, scilicet character. Et quia character non imprimitur ad praeparan-

(1) *Al. vivificare.*

dum hominis voluntatem, ut aliquid bene fiat cum non sit habitus, sed potentia, ut dictum est; ideo hunc effectum voluntatis indispositio non impedit, dummodo aliquis sit voluntas recipiendi sacramentum. Alius effectus est qui est res et non sacramentum, scilicet gratia, et quae ad ipsam consequuntur, per quae hominis voluntas praeparatur ut bene cooperetur; et ideo ad hunc effectum percipiendum non sufficit quaelibet voluntas sacramentum recipiendi, sed requiritur voluntas talis a qua removeatur omnis indispositio contrariae gratiae, baptismali quia contraria non se compatuntur; unde manente contraria dispositione, baptismus ultimam suum effectum habere non posset.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum originale eo ipso quod non est voluntarium voluntate huius personae, habet quod in voluntate, in qua ultimus effectus baptismi effici debet, indispositionem aliquam non causat; et ideo effectum baptismi impedire non potest.

Ad secundum dicendum, quod de ratione voluntatis est ut egi non possit; et ideo non est similis ratio de indispositione voluntatis, et aliarum rerum naturalium, quae per violentam actionem agentis dispositiones contrarias admittunt.

Ad tertium dicendum, quod sicut in his quae ad esse naturae spectant, quaedam Deus operatur mediante rebus naturalibus, quaedam autem sibi reservavit, ita etiam in aliis quae ad gratiam pertinent, quaedam operatur mediante sacramentis, quaedam autem immediate operatur; et quandoque praeter legem naturae, sicut et miracula facit praeter rationes seminales seu naturales; et de huiusmodi est permutatio voluntatis eorum qui gratiae contrariam voluntatem habent non solum habitu (quod quandoque contingit in his qui non fidee accedunt, sed ad gratiam disponentibus, quam in ipso momento baptismi consequuntur), sed etiam eorum qui contrariam actu voluntatem habent, sicut de Paulo accidit; Act. 10.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod ad hoc quod aliquis alienius agentis effectum percipere debeat, oportet quod se habeat in debita dispositione ad causam agentem, et ad effectum percipiendum; et ideo indispositio voluntatis, quae effectum ultimum baptismi impedit est duplex: una secundum ordinem ad ipsum sacramentum; alia secundum ordinem ad effectum sacramenti. Ad ipsum autem sacramentum contingit voluntatem esse indispositam dupliciter: uno modo per subtractionem necessariam; alio modo per positionem contrarii. Quia autem omnis actio est per contactum; ideo necessarium est quod recipiens sacramentum quodammodo contingat ipsum et per intellectum quem quidem contactum facit fides et per affectum quem contactum facit devotio; et ideo indispositio reputatur et qui non credit, et qui indevotus accedit. Similiter autem duplex est contrarium, quod subtrahi oportet. Unum est ex parte eorum quae exterius aguntur; et sic indispositus est qui aliter celebrat. Aliud est ex parte virtutis intrinsecae, quae secretis operatur salutem; et sic indispositus est qui contemnit. Similiter autem per comparisonem ad effectum baptismi, oportet quod disponatur aliquis adhibendo necessarium, scilicet fidem, quae cor purificat, et quod removeat contrarium, scilicet peccatum, per contritionem; et ideo Ambrosius dicit quod non sunt ne-

cessaria ex hac parte nisi fides et contritio, tamen contritio etiam in devotione includitur.

Ad primum ergo dicendum, quod fictio proprie est cum aliquis aliquid ostendit dicto vel facto, quod non est in rei veritate. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo quando ex hac intentione aliquid dicitur vel fit, ut aliud ostendatur quam rei veritas habet; et tunc fictio est speciale peccatum, et sic non accipitur hic. Alio modo quando aliquid ostenditur quod rei veritas non habet dicto vel facto, etiam si non propter hoc dicitur vel fit, et sic accipitur hic fictio. Quicumque enim ad baptismum accedit, ostendit se veteri vitae abrenunciare, et novam inchoare; unde si voluntas ejus adhuc in vetustate vitae remaneat, aliud ostendit quam sit in rei veritate; et ideo est fictio.

Ad secundum dicendum, quod in sacramentis praecipue fides operatur, per quam sacramenta quodammodo continuantur suae causae principaliter agenti, et etiam ipsi recipienti; et ideo defectus fidei specialius pertinet ad fictionem quae est in sacramentis, quam defectus aliarum virtutum.

Ad tertium dicendum, quod devotio hic accipitur voluntas consequendi baptismum totaliter, et quantum ad sacramentum et quantum ad rem sacramenti; et hujus devotionis defectus non potest sine peccato mortali esse; quamvis defectus devotionis (1) prout importat fervorem caritatis in reverentia Dei et divinorum, possit esse sine peccato mortali.

Ad quartum dicendum, quod aliter celebrans quandoque non variat ea quae sunt de essentia sacramenti, et tunc confertur sacramentum; sed non consequitur aliquis rem sacramenti, nisi suscipiens sacramentum sit immunis a culpa aliter celebrantis.

Ad quintum dicendum, quod non loquimur hic de contemptu quo aliquis abiicit sacramentum non recipiens ipsum, sed quo aliquis parvipendit non aestimans in eo esse efficaciam ad salvandum.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod in baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam; et ideo, cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quae effectum characteris impediabat, character, qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum; et ita baptismus recedente fictione, effectum suum consequitur.

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus non habet efficaciam solum ex opere operante sed magis ex opere operato, quod est opus Dei et non hominis; et ideo non potest esse mortuum.

Ad secundum dicendum, quod baptismus recedente fictione habet illum effectum quem prius habuisset, si fictio non fuisset; et ideo peccata praecedentia baptismum remittit et quo ad culpam et quo ad poenam; sed peccata sequentia remittuntur virtute contritionis quae fictionem amovet, quantum ad culpam, sed non quantum ad poenam totaliter.

Ad tertium dicendum, quod in eucharistia non imprimitur character cuius virtute possit aliquis virtutem sacramenti percipere fictione recedente; et ideo non est simile.

(1) *Al. cognitionis.*

ARTICULUS III.

Utrum praeter baptismum fluminis debeant alia baptismata esse. — (5 p., quaest. 66, art. 2 et 12.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod praeter baptismum fluminis non debeant alia baptismata esse. In omnibus enim quae sunt unius speciei, est unus modus generationis. Sed baptismus est regeneratio in vitam spiritualem, quae est unius rationis in omnibus generatis. Ergo non debet esse regeneratio nisi unius modi, et ita tantum baptismus fluminis.

2. Praeterea, baptismus dividitur contra alia sacramenta novae legis. Sed alia sacramenta non multiplicantur: non enim sunt plures confirmationes neque plura sacerdotia, et sic de aliis. Ergo praeter baptismum etiam fluminis non debet esse aliud baptismata.

3. Praeterea, sacramentum est genus baptismi. Sed alia quae dicuntur baptismata non sunt sacramenta, quia non servatur debita forma et debita materia. Ergo non sunt baptismata.

Sed contra est quod Damascenus determinat (in 4 lib., cap. 10) plura genera baptismatum.

Praeterea, Heb. 6, super: *Baptismatum doctrinae*, dicit Glossa: *Plura dicit quia est baptismata aquae, poenitentiae, et sanguinis*. Ergo sunt plura genera baptismatum.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius 1. Videtur quod poenitentiae baptismus non sufficiat ad salutem. Character enim baptismalis videtur esse de pertinentibus ad salutem, eo quod per ipsum distinguitur populus Dei a non populo Dei. Sed per baptismum poenitentiae non imprimitur character. Ergo non sufficit ad salutem.

2. Praeterea, posita causa sufficiente superfluum videtur aliam causam addere. Si ergo baptismus poenitentiae ad salutem sufficeret necessitate imminente, tunc aliquis necessitatis articulum evadens non deberet baptismum aquae baptizari: quod falsum est.

3. Praeterea, aetas puerilis magis est ad misericordiam inclinans quam aetas perfecta, ut patet per Glossam Rom. 5 super illud: *Vix pro iusto quis moritur etc.* Sed pueris non remittitur peccatum originale pro sola fide et contritione aliorum, nisi baptismus aquae eis adhibeatur. Ergo videtur quod nec adultis remittatur originale et actuale simul sine baptismum aquae.

Sed contra, salus hominis cum sit de maximis bonis, non potest hominis invito auferri. Sed in potestate hominis est impedire alium ne baptizetur per baptismum aquae. Ergo sine baptismum aquae per solam fidem et contritionem potest esse salus.

Praeterea, Rom. 6, 25, dicitur: *Gratia Dei vita aeterna*. Sed contritio non est sine gratia. Ergo qui habet fidem et contritionem, etiam sine baptismum aquae salvatur.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius 1. Videtur quod baptismus sanguinis non suppleat vicem baptismi aquae. Baptismus enim aquae habet efficaciam ex opere operato, ba-

pismus autem sanguinis solum ex opere operante; unde sine caritate non prodest, ut dicitur 1 Corinth. 15. Sed in pueris nihil habet efficaciam ex opere operante, quia usum liberi arbitrii non habent. Ergo in eis baptismus sanguinis non supplet vicem baptismi aquae.

2. Praeterea, in baptismum sanguinis non est nisi poena et causa. Sed poena quandoque non est proportionata ad tollendam totam poenam debitam pro peccatis; nec etiam devotio ad causam passionis, cum quis pro Deo patitur, ad hoc sufficeret. Ergo baptismus sanguinis non semper totam poenam debitam pro peccatis tollit, et ita non supplet in omnibus vicem baptismi aquae.

3. Praeterea, alia multa sunt genera supererogationum, sicut virginitas, cui etiam debetur aureola; et doctrina, et huiusmodi. Sed haec non suppleant locum baptismi. Ergo nec martyrium, ut videtur.

Sed contra est quod Augustinus dicit de Cypriano (de Baptis. contra Donatist., lib. 1, cap. 18), quod si quid in eo purgandum erat, passionis falce ablatus est. Ergo baptismus sanguinis purgat universaliter, et etiam supplet locum baptismi aquae.

Praeterea, baptismus aquae efficaciam habet ex passione Christi, cui non conformatur. Sed similiter baptismus sanguinis non passioni Christi conformatur. Ergo supplet vicem baptismi.

QUAESTIUNCULA IV.

Uterius 1. Videtur quod baptismus aquae sit potior quam baptismus sanguinis. Baptismus enim sanguinis efficaciam habet ex opere operante illius qui patitur, baptismus autem aquae ex passione Christi. Cum ergo passio Christi sit efficator quam opus operans alicuius puri hominis, baptismus aquae nobilior erit quam baptismus sanguinis.

2. Praeterea, per baptismum aquae datur homini gratia per quam debetur ei aurea, sed per baptismum sanguinis debetur homini aureola. Ergo cum aurea sit nobilior quam aureola, et baptismus aquae erit nobilior quam baptismus sanguinis.

Sed contra est quod dicitur in Glossa, Judic. 6 (super illud: *Tolle vitulum etc.*): *Baptismus in sanguine puriores reddit quam baptismus aquae.*

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam questionem, quod proprie loquendo, unum est tantum baptismum, quod in aqua celebratur sub determinata forma verborum, de qua Dominus dicit Matth. ult., 19: *Doceat omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. Alia autem dicuntur baptismata per ordinem ad illud baptismum; et hoc tripliciter. Primo dicitur aliquid baptismum quasi signum huius baptismi; et sic diluivium dicitur baptismus, in quantum significat nostrum baptismum quantum ad salvationem spirituales vitae ex salvatione humani generis tunc facta in aqua, ut patet 1 Petr. 3, et transitus maris rubri, qui significat baptismum nostrum quantum ad liberationem a servitute daemonum, ut dicitur 1 Corinth. 10; et ablutiones quae fiebant in lege, quae significant nostrum baptismum quantum ad purgationem peccatorum quae in ipso fit. Alio modo dicitur baptismum quasi causa aliqua nostri baptismi; et sic baptismus Joannis dicitur baptismum ut disponens ad nostrum baptismum; et baptismum quo Christus baptizatus est, ut dans efficaciam nostro baptismum. Alio modo dicitur aliquid baptismum. S. Th. Opera omnia. V. 7.

quid baptismus secundum proportionem ad eundem effectum; et sic dicitur baptismus poenitentiae et baptismus sanguinis de quibus Magister hic loquitur: vel quantum ad effectum secundarium, qui est consummatio in bono; et sic dicitur baptismus spiritus, de quo dicitur Act. 1. Et haec novem genera baptismatum ponit Damascenus (de Fide Orth., lib. 4, cap. 10); sed Magister hic tangit illa tantum quae habent convenientiam cum sacramento baptismi in principali effectu.

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus sanguinis et baptismus poenitentiae habent vim eandem regenerandi cum baptismum aquae; quia baptismus sanguinis et poenitentiae non valent ad regenerationem nisi ei qui habet baptismum aquae in proposito, scilicet quando articulus necessitatis non contemptus religionis sacramentum excludit, ut in littera dicitur; et sic quodammodo agunt in vi baptismi aquae.

Ad secundum dicendum quod alia sacramenta non sunt tantae necessitatis sicut baptismus; et ideo non oportuit quod haberent aliqua supplementia eum articulus necessitatis sacramentum excludit.

Ad tertium dicendum, quod duo baptismata de quibus Magister facit mentionem in littera, non conveniunt cum baptismi sacramento in significando, sed solum in causando; et ideo non proprie possunt dici sacramenta: propter quod in littera dicitur quod tales suscipiunt rem sacramenti sine sacramento.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum, quod aliquid dicitur ad salutem dupliciter. Uno modo simpliciter et absolute; et sic baptismus poenitentiae sine baptismum aquae non sufficit ad salutem. Alio modo secundum quid et in casu; et sic sufficit, quando articulus necessitatis sacramentum excludit ne actu percipi possit. Tunc enim quamvis sit poenitentia sine baptismum in actu est tamen cum desiderio et proposito baptismi; et voluntas pro facto reputatur ei qui non habet tempus operandi.

Ad primum ergo dicendum, quod eadem ratio est de characterem baptismali, et de ablutione aquae exteriori: quia utrumque simpliciter est necessarium ad salutem, sed in casu sufficit propositum, quando articulus necessitatis sacramentum excludit.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procederet bene, si baptismus poenitentiae esset simpliciter et absolute ad salutem sufficiens.

Ad tertium dicendum, quod quamvis puerorum aetas sit magis miserabilis, tamen oportet si salvari debeant, quod in eis aliqua causa salutis sit. Et quia per proprium motum liberi arbitrii salvari non possunt, oportet quod per sacramentum baptismi salventur. Plus enim valet adulto fides propria, quam parvulo fides aliena. Quod enim aliquando fides aliena pueri ad salutem sufficiebat cum aliqua protestatione hoc erat in quantum illa protestatio habebat vim sacramenti quam nunc habet baptismus aquae.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod baptismus aquae efficaciam habet a passione Christi, in quantum eam sacramentaliter repraesentat; baptismus autem sanguinis passioni Christi conformatur realiter, non sacramentaliter representatione; et ideo in his quae sacramentalia sunt baptismus sanguinis non supplet vicem baptismi a-

quae, sicut est impressio characteris et hujusmodi, sed in eo quod est res tantum, supplet totaliter vicem baptismi aquae quando articulus necessitatis sacramentum excludit. Sicut enim in baptismo aquae liberatur homo ab omni culpa praecedente et poena, ita in baptismo sanguinis.

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus sanguinis non habet hoc tantum ex opere operantis, neque quantum ad poenam qua aliquis martyrium excipit (1); quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato; neque quantum ad devotionem justae voluntatis: quia contingit quod voluntate majori caritate informata aliquis sine martyrio non potest ab omni poena liberari, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi; unde de martyribus dicitur Apocal. 7. 14: *Laevaverunt stolae suas in sanguine agni*; et ideo pueri quamvis liberum arbitrium non habeant, si occiduntur pro Christo, in suo sanguine baptizati salvantur.

Ad secundum dicendum, quod quamvis illa poena in se considerata, non esset sufficiens ad liberandum ab omni poena peccati, tamen relata ad causam passionis, accipit efficaciam a passione Christi, cui aliquis per talem poenam conformatur, et ex hoc ab omni poena absolvi potest.

Ad tertium dicendum, quod in aliis supererogationis vel perfectionis operibus vel statutis, non est ita expressa conformitas ad passionem Christi sicut in baptismo sanguinis, neque etiam in baptismo poenitentiae; et ideo non oportet quod in eis omnis poena dimittatur. Tamen in Vitis Patrum dicitur, quod quidam Patrum vidit eandem gratiam descendentem super eum qui habitum religionis assumit, et super eum qui baptizatur. Sed hoc non est quia talis a satisfactione absolvatur, sed quia eo ipso quod sum voluntatem etiam in servitium redigit propter Deum, plenarie jam pro omni peccato satisfecit, quia eum cariorum (2) habet omnibus rebus mundi, de quibus tantum posset dare quod elemosynis omnia peccata redimeret, etiam quantum ad poenam.

Solutio IV. Ad quartam quaestionem dicendum, quod uterque baptismus habet efficaciam a passione Christi, secundum quod ei conformatur. Et quia baptismus aquae conformatur ei sacramentali significatione, baptismus autem sanguinis realiter; ideo quantum ad sacramentalia excedit baptismus aquae, sicut est impressio characteris, et hujusmodi; sed quantum ad ea quae sunt res (3) sacramenti, excedit baptismus sanguinis, quia et gratia in baptismo sanguinis magis augetur habenti, et amplius datur non habenti, si impedimentum non adsit; et remissio peccatorum quamvis non sit plenior, quia uterque omnem poenam et culpam tollit, tamen est in baptismo sanguinis efficacior et fructuosior, quia secundis maculis non inquinatur, ut Damascenus dicit (ubi supra). Quod enim quidam dicunt, quod in baptismo sanguinis gratia non conferuntur, apparet falsum esse in pueris qui pro Christo occiduntur, et etiam in adultis, quibus potest in ipso actu passionis gratia dari, sicut et in baptismo aquae, si se ad eam disposuerint, et obicem aliquem non ponant Spiritui sancto. Et hoc patet

(1) *Al.* explicit. *Nicolai*: quia aliquis peccatum per martyrium excipit.

(2) *Al.* quam cariorum.

(3) *Al.* haec res.

per Augustinum (Gennadium de eccles. Dogmat., cap. 74), qui loquens de comparatione horum baptismatum, ait: *Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, martyr coram persecutore; ille post professionem aspergitur aqua, hic sanguine; ille per impositionem manus Pontificis recipit Spiritum sanctum, hic templum efficitur Spiritus sancti*. Nullus autem efficitur templum Spiritus sancti nisi gratiam accipiendo.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam baptismus sanguinis efficaciam habet a passione Christi, cui expressus conformatur quam baptismus aquae.

Ad secundum dicendum, quod in baptismo sanguinis aliquis non solum aurocolam meretur, sed etiam aurum per gratiam tunc collatam, vel augmentatam.

Expositio textus.

Omnes parvuli qui in baptismo ab originali mandantur, sacramentum et rem suscipiunt. Non tamen soli parvuli, sed etiam adulti quandoque. Tamen de parvulis non est dubium quomodo recipiant; de adultis autem est, quia per fictionem impediri possent; et ideo parvulis potius exemplificat.

Nisi poeniteat, cum veteris vitae. Contra. Ergo baptismus non est primum sacramentum, sed poenitentia. — Et dicendum, quod loquitur de poenitentia prout est virtus, non prout est sacramentum.

Non redire dimissa etc. hoc qualiter verum sit, infra, dist. 22, quaest. 1, art. 1, in corp., dicitur. *Indunt homines Christum aliquando etc.* Inducere Christum nihil aliud est quam Christi similitudinem assumere; quod contingit exterius per sacramentalem repraesentationem, et interius per realem imitationem.

Nec tantum passio vicem baptismi implet, sed etiam fides et contritio, ubi necessitas excludit sacramentum. Contritio non totaliter supplet: quia non semper a tota poena absolvit, quamvis absolvat ab omni culpa.

Neque enim ille latro pro nomine Christi crucifixus est. Contra est quod Hieronymus dicit (in epist. ad Paulinum de institutione Monachi), quod Christus homicidii poenam in illo latrone fecit esse martyrium. — Et dicendum quod habuit aliquid de martyrio, scilicet poenam, et justam voluntatem; et aliquid deficit ad martyrium, scilicet causa; sicut in innocentibus deficit justa voluntas; sed fuit poena et causa.

Quem regeneraturus eram, amisi. Amisisse se eum dicit, quia gaudium et meritum quod de baptismatione ejus habiturus erat, amisit differens baptismum ejus usque ad solemne tempus secundum morem Ecclesiae qui tunc erat, vel usque ad perfectam instructionem. Iste autem gratiam baptismi non amisit, quia cum desiderio ejus decessit; et hoc est verum quantum ad remissionem culpae, sed non quantum ad remissionem omnis poenae.

Ubi tota sacramenta baptismi complentur. Verum est quantum ad id quod est tantum res in sacramentum.

Aeterno supplicio puniendos, supplicium improprie nominat poenam damni, quam solum pueri sustinebunt, ut in 2 lib., dist. 53, quaest. 2, art. 2, dictum est.

Quia fidelium consortio non separantur. Orationes tamen illae non sunt pro eis suffragia, sed gratiarum actiones.

DISTINCTIO V.

Quod baptismus aquae sanctus est, a bono et a malo datus bono vel malo.

Post haec sciendum est, sacramentum baptismi a bonis et a malis ministris dari, sicut a bonis et a malis sumitur: nec melior est baptismus qui per meliorem datur, nec minus bonus qui per minus bonum datur, nec malus qui per malum datur; nec majus malum datur in baptismo dato a bono, nec minus in baptismo dato a malo; sed aequale: quia non est minus hominis, sed Dei: quod totum subdit declaratur testimonio. Augustinus ait (super Joan., tract. 49): «Baptismus talis est, qualis est ille in cuius potestate datur, non qualis est ille per cuius ministerium datur.» Item (1): «Prorsus fieri potest ut aliqui verum habeant baptismum et non habent scilicet fidem.» Item (2): «Si inter bonos ministros, cum sit alius alio melior, non est melior baptismus qui per meliorem datur; nullo modo malus est qui etiam per malum datur, quia idem baptismus datur; et ideo per ministros disparates Dei munus est aequale, quia non illorum, sed eius est.» Idem (tract. 6 in Joan.): «Cum baptizatus malus, illud quod datum est, unum est; non impar propter impares ministros, sed par et aequale propter hoc: hic est qui baptizatur.» Item (tract. 5): «Ego dico, et nos dicimus omnes, quia justos oportet esse per quos baptizatur, justos oportet esse tantum iudicis ministris. Sint ministri justis, si volunt; si autem noluerint esse justis qui sedent in cathedra Moysi, securum me facit magister meus, scilicet Christus, de quo Spiritus sanctus dicit: hic est qui baptizat.» Item (ibid.): «Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit. Si quos ergo baptizavit ebrius, homicida, adulter; si Christi erat baptismus, Christus baptizavit. Non timeo adultum, nec ebriosum, nec homicidam, quia columbam attendo, per quem mihi dicitur: hic est qui baptizat.» Item (paucis post): «Homicida dedit baptismum Christi; quod sacramentum tam sanctum est ut ut eum homicida ministrante polluat.» Item (Fulgentius de fide ad Petrum, cap. 5): «In haeresi quaecumque vel schismate quisquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptismum acciperit, integrum sacramentum acceperit sed saltem, quae virtus est sacramenti, non habebit, si extra Ecclesiam catholicam ipsum sacramentum habuerit. Debet ergo ad Ecclesiam redire, non ut sacramentum baptismi iterum accipiat, quod nemo debet in aliquo repetere, sed ut in societate catholica vitam accipiat.» Baptismus enim extra Ecclesiam nequit prodesse. Ibi enim cuique prodesset potest baptismus ubi potest prodesse elemosina, scilicet in Ecclesia.» Item Isidorus (de sacramento baptis., et habetur de consecr., dist. 4, cap. 4, Romanus): «Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizatur, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizatur.» In his perspicue cernis baptismum verum bonis et malis dari et a bonis et a malis; et ipsum tamen aequale sacramentum esse, et munus ejus aequale in bonis sive a bonis sive a malis baptizatur.

De potestate baptismi, et ministerio.

Quia ministerium tantum habent, non potestatem baptismi: potestatem enim sibi retinuit. Quid novit Joannes cum vidit columbam descendentem super Christum. Unde Augustinus (super Joan., tract. 5): «Quid novaverat Joannes Baptista? Dominum. Quid non novaverat? Potestatem domini baptismi in nullum hominem a Domino transiunturam, sed ministerium plane transiunturam: potestatem a Domino in neminem, sed ministerium in bonos et malos. Non exhorreat columba ministerium malorum: respiciat potestatem Domini. Quid facit tibi minister malus, ubi bonus est Dominus? Neque qui plantat neque qui rigat, est aliquid sed qui incrementum dat Deus (1 Corinthus., 5, 7). Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur; sed non contaminatur bo-

num (1) Christi. Quod per illud (2) fluit, purum est. Per lapideum canalium transit aqua ad areolas in canali lapideo nil generatur, sed hortus (3) fructus plurimos affert.» Habent ergo non modo boni, sed etiam mali, ministerium baptizandi; sed neutri potestatem habent. Ministerium enim dedit Christus servis, sed potestatem sibi retinuit: quam si vellet, poterat servis dare, ut servus daret baptismum suum tamquam vice sua, et potestatem suam constituitur poterat in aliquo vel in aliquibus servis suis, et tanta vis esset in baptismis servi, quanta est in baptismis Domini; sed noluit, ne servus in servo spem poneret. Baptizatur servus ut minister, baptizatur Dominus tamquam potestatem habens: quam si daret servis, ut scilicet ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quod servi; et sicut dicitur est baptismus Joannis, sic diceretur baptismus Petri et Pauli: quod ne fieret, retinuit sibi Dominus potestatem baptismi, servus autem ministerium dedit. Si ergo servus dicit se baptizare, recte dicit, sed tantum minister baptizat; et ideo non differt sive bonus sive malus baptizatur. Inde etiam nemo dicit, Baptismus meus, cum tamen dicat: Evangelium meum, prudentia mea, licet haec sint a Domino: in quibus differentia est. Alius enim alio melius operatur in evangelizando, et alius alio prudentior est. Alius autem alio magis minus baptizatus, sive ab inferiori sive a majori baptizatur, dici non potest.

Quae fuit potestas baptismi quam potuit Christus dare servis.

Hic quaeritur, quae sit illa potestas, baptismi quam Christus sibi retinuit, et potuit dare servis. Haec est ut plurimum voluntas (4) potestas dimittendi peccata in baptismo. Sed potestas dimittendi peccata, quae in Deo est Deus est. Ideo alii dicunt, hanc potestatem non potuisse dare alicui servum: quia nulli potuit dare ut esse quod ipse est, vel ut haberet essentiam quam ipse habet, cui hoc esse quod ipse esse potest. Dicitur enim: si hanc potestatem alicui dare potuit, potuit et dare creaturas creare: quia non est hoc majoris potentiae quam illud. Ad quod dicit potest, quia potuit esse dare potestatem dimittendi peccata, et tamen non ipsam eandem qua ipse potens est, sed potestatem creatam (5), quia servus potest dimittere peccata, non tamen ut auctor remissionis, sed ut minister; nec lamam sine Deo auctore, ut sicut in ministerio habet exterioris sanctificatione, ita in ministerio habet interioris mandata; et sicut illud exteriori Deo auctore, qui cum eo et in eo (6) operatur illud exteriori; ita interiori mundaret Deo auctore, qui ejus verbo velut quodam ministerio uteretur. Ita etiam potest Deus per aliquem creare aliqua, non per eum tamquam auctorem, sed ministrum, cum quo et in quo operaretur; sicut in bonis operibus nostris ipse operatur et nos, nec ipse tantum nec nos tantum, sed ipse nobiscum et in nobis; et tamen in illis agendis ministri ejus sumus, non auctores. Ita ergo potuit dare servo potestatem dimittendi peccata in baptismo; id est, ut in mandatione interiori servus cum Domino operaretur; non servus sine Domino, nec Dominus sine servo, sed Dominus cum servo et in servo; sicut in exteriori ministerio Dominus operatur cum servo et in servo (7). Unde Dominus dicitur sanctificare, et servus; sed Dominus invisibilis gratia, servus visibilis sacramentum. Unde Augustinus super Levit. (quaest. 48): «Dominus ait (ibid. 22, 9): Ego Dominus qui sanctifico. Et de Moysae etiam dicitur est (Exod. 29): Et sanctificabis eum.» Sed Moyses sanctificabat visibilibus sacramentis per ministerium, Dominus autem invisibilis gratia per Spiritum sanctum (8) ubi est totus fructus visibilium sacramentorum: nam (9) sine hac sanctificatione visibilia sacramenta nil prosunt. Si quis hoc melius aperire poterit, non invidio.

(1) *Al.* donum.

(2) *Al.* illum.

(3) *Nicolai*, sed in hortis.

(4) *Al.* ut plurimum velut.

(5) *Nicolai* omittit creatam.

(6) *Al.* deest et in eo.

(7) *Al.* deest et in servo.

(8) *Al.* deest sanctum.

(9) *Al.* deest nam.

(1) De univ. baptis. contra Pelitian., cap. 11 (*Ex edit. P. Nicolai*).

(2) Lib. 5 cont. Cresconium grammaticum, cap. 6 (*Ex edit. P. Nicolai*).